

Johann Christian Petersen


**Programma Natalitium, Qvo Academiae Rostochiensis Rector, Johann.  
Christianus Petersen, V.J.D. & Cod. Prof. Publ. Ord. Angelum Nativitatis Christi  
Nuncium, Et Officiorum In Hoc Festo Nos Admonentem, Civibus Academicis  
Audiendum Sistit**

Rostochii: Typis Johann. Jacob. Adleri, [1722?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004001525>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1722. Weihn.

~~M. 1256. 175.~~

W. 1722

PROGRAMMA NATALITIUM,

QVO  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
RECTOR,

JOHANN. CHRISTIANUS  
PETERSEN,


V. J. D. & Cod. Prof. Publ. O



ANGELUM  
NATIVITATIS  
CHRISTI  
NUNCIUM,

ET  
OFFICIORUM IN HOC FESTO  
NOS ADMONENTEM,  
CIVIBUS ACADEMICIS

AUDIENDUM  
SISTIT.



ROSTOCHII,  
TYPIS JOHANN. JACOB. ADLERI, SERENISS. PRINCIP.  
& ACAD. Typogr.

M. 1256 175

146



**E**timete, ecce! enimevan-  
gelizo vobis gaudium magnum, quod  
fiet omni populo. Quia natus est vobis  
hodie Salvator, qui est Christus Domi-  
nus in urbe Davidis. Vox hæc erat  
Angeli, primi illius salutiferæ Do-  
mini nostri & Salvatoris JESU

Christi nativitatis nuncii ac ebuccinatoris, quâ pastores  
Bethlehemiticos, custodias noctis pro grege suo cu-  
stodientes, alloquebatur, nativitatem infantis, qui uni-  
versum redempturus mundum erat, ipsis denunciatis,  
*Luc. II. 10. 11.* Non aptiora me, dum in sacratissimo hoc,  
quod, quaquaversum patet, universa Christi Ecclesia  
hodie celebrat, Festo Natalitio verba, pro officii ra-  
tione, facere teneor, invenire posse visus mihi sum,  
quam ipsa Angelica hæcce, queis vestram, **CIVES**  
**ACADEMICI!** & fidem suscitarem & devotionem.  
Deprædicant enim magnalia DEI nostri, annunciant  
nobis beneficiorum erga nos divinorum omnium sum-  
mum, indicunt festivitatem maximam, & quæ sint isthoc  
in Festo officia nostra, nos docent monentque. Videtur  
Angelus his verbis tum Evangelii, omni populo annun-  
ciandi, prædicationem inchoare, tum brevem ejusdem  
summam ac epitomen exhibere. Quemadmodum e-  
nim in promulgatione Legis quondam DEUS Angelo-  
rum ministerio usus fuit, *Act. VII. 53. Gal. III. 19.* sic et-  
iam Evangelii, de nato jam, olim promisso, Salvatore,  
publicationem ministratoriorum horummet spiritu-  
um operâ primùm peragi, sapientiæ illius placuit. Sunt  
enim illi, quos DEUS emittit in ministerium propter eos,  
qui hæreditaturi sunt salutem, *Ebr. I. 14.* Sunt nuncii,  
salutaria DEI bonaque per Christum nobis parta homi-  
nibus annunciantes. Ut plurimum, quando DEUS sin-  
gulare

gulare quidpiam & extraordinarium vel operaturus v el  
 operatus fuit, id Angeli mortalibus, sive ante sive post  
 factum, insinuasse leguntur. Non attinet plura hujus-  
 modi exempla congerere, cum præsto nobis sit lucu-  
 lentissimum quoddam, in re, à quâ universa salus nostra  
 dependet. Annunciat namque heic Angelus nativita-  
 tem ejus, qui totum redempturus mundum erat ac cum  
 DEO reconciliaturus, promissus jam statim post lapsum  
 hominum in Paradiso eos inter DEumque Mediator.  
 Cuinam autem isthæc annunciatio facta? Natus erat  
 Rex Judæorum, *Matth. II. 2.* magnus ille & Filius Altis-  
 simi vocandus, cui daturus erat Dominus DEus thro-  
 num Davidis, Patris ipsius, regnatura super domum Ja-  
 cobi in secula, cujusque Regni non erit finis, *Luc. I. 32. 33.*  
 Anne igitur Regibus, Principibus & Magnatibus hujus  
 mundi natales ipsius primùm omnium denunciatos fu-  
 isse colligendum est? Sic equidem arbitrandum nobis  
 foret, si Rex ille mundanus esset: At, quoniam Regnum  
 ejus non est ex hoc mundo, *Joh. XIII. 36.* secus longe o-  
 mnia hîc sese habent. Succurrit memoriæ notabile di-  
 ctum *1. Cor. I. 26. 27. 28.* *Non multi sapientes juxta carnem;*  
*non multi potentes; non multi nobites; sed stulta hujus mundi*  
*elegit DEus, ut sapientes pudefaciat: Et infirma mundi elegit*  
*DEus, ut pudefaciat valida: Et ignobilia mundi, & contempta ele-*  
*git DEus.* Nescio, utrum non etiam ad præsens verba  
 hæc omni jure accommodari possint? Etenim, non  
 Pharisæis & Scribis, aut Primoribus populi, non He-  
 rodi Regi, non Imperatori Augusto, nec ulli Magnatum  
 in Aula vel Regiâ vel Imperatoriâ, primùm nativitas  
 Christi denunciata est; sed hominibus vilioris condi-  
 tionis & abjectæ fortis, pastoribus in regione urbis  
 Bethlehem obscurâ nocte gregem suum custodienti-  
 bus & evigilantibus. His adstitit Angelus Domini,  
 & gloria Domini circumfulsit eos. Linqumus otio-

fis ingeniis suam vel inutilem curiositatem vel stoliditatem, queis anxie inquirere placet in numerum & nomina Pastorum, quibus nativitas Domini primum annunciata fuit. Ridemus, imò deploramus plusquam anilem quorundam superstitionem, qualis sub tenebris Ecclesiæ Papææ olim regnavit, utinam non & hodie similes ei regnarent! dum persuaderi sibi passi fuerunt, nomina pastorum in Bethlehem, quæ fuerint: Misael, Acheel, Cyriacus & Stephanus; curandis venenatorum animalium morfibus esse, ut, si quis à serpente aliove reptili, venenoso animali, ictus fuerit, hæc vero nomina, junctis Magorum ex Oriente Christum recens natum adoratum venientium nominibus, ollæ novæ interiori parti inscribantur, cum pingui tæda ardente, ac olla cum sanctificatione DEi obstructa icti nuntio tradatur, sanitati confestim ictus restituatur: ex vetusto quodam bibliothecæ quondam celebratissimæ Heidelbergensis, postmodum, injuriâ temporum, in Vaticanam, ut ajunt, translata, Codice referente *QVISTORPIO Annotatt. Bibl. ad Luc. II. 8.* Neque morabimur Patrum aliorumve conjecturas, cur pastoribus præcisè, & non alius Status hominibus hancce nativitatem, statim ac contigit, per Angelos patefactam DEus voluerit? Alii factum id volunt, quod simplicissimum hominum genus id fuerit, quod & DEo maximè probaretur, & ad fidem esset naturâ propensum, quemadmodum & hi pastores facile crediderint, Regem & Salvatorem esse mundi, quem in stabulo natum videbant, quod Scribæ & Pharisæi minimè credidissent, qui, tot postea tantisque conspectis miraculis, credere noluerunt. Alii causam dant, quod Christus venerit, ut verus esset *Pastor*, princepsque pastorum, ex *Joh. X. II. 14.* ideoque primum se pastoribus ostendere voluerit. Imò & huc alii trahunt, quod Christus dicitur *Agnus DEI*, *Joh. I. 29. Apoc. V. 6. 12. XII. II.*  
hinc

hinc convenientem ab Angelis peractum ordinem conspici, dicentes, ut prius pastoribus natus agnus, & gregibus Pastor nunciaretur. Adhuc alii, sic fieri Christum voluisse, statuunt, ut exemplo suo doceret, pastoribus primum Ecclesiæ mysteriorum à DEO revelationes fieri, ut ex illis ceteri discant. Denique sunt, non aliam hujus rei rationem fuisse, scribentes, quam quia postea Christus voluit ex piscatoribus & ex infimæ conditionis hominibus Apostolos facere. *Fecit primum, inquit, ex pastoribus Evangelistas, & Apostolos: fecit postea ex piscatoribus pastores.* Exhibet hæc sententias MALDONATUS *Comment. in IV. Evangel. ad Luc. II. 9.* Quibus addi & posset, innocens hoc esse & simplex hominum genus, fraudis nescium, quò tutius iis, factum enarraturis, fides haberetur. Sed sufficiat nobis infinita sapientia DEI, omnia ejus consilia dirigentis, cetera cum Paulo, *Rom. XI. 34.* quærentibus: *Quis cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Convertemus potius cogitationes nostras in objectum hujus nuncii Angelici, quod ita legimus expressum: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod fiet omni populo.* Non sine emphasi utitur Angelus verbo evangelizandi. Quandoquidem enim pastores, gloriâ Domini eos circumfulgente, magnum timebant timorem, blandissimâ eos alloquebatur voce, ut timorem expelleret ex iis, & majorem in ipsis excitaret attentionem. Evangelizare namque est bona, jucunda, læta annunciare. Et significatio illius intenditur, cum dicit: *Evangelizo vobis gaudium magnum, i. e. affero vobis nuntium lætum, magni gaudii materiam præbiturum.* Gaudium, non in risu oris, aut buccarum consistens; sed verum cordis gaudium. Magnum id vocat gaudium, quoniam ipsum, licet pastoribus illis, ex quo singularem suam felicitatem æstimare illi habebant, præ aliis, primum annunciaretur, futurum erat omni populo. Maluit BEZA vocem *παντι* vertere per *toti*, quam *omni*, suo nimirum Particularismo indulgens, quò ad

populum Judaicum restringeretur. Sed & inter Patres fue-  
re, qui de Judæis tantum intellecta hæc voluere, quos & re-  
centiores nonnulli sequuntur, uti JANSENIUS *Terrateuch.*  
*s. Comment. in IV. Evang. ad h. l. Non enim ad Gentiles, scribit,*  
*respici, sed ad expectationem Judæorum, suadet circumstantia per-*  
*sonarum, ad quas loquitur.* Fatetur & nostras DORSCHÆUS  
*Comment. in IV. Evangel. h. l. non multum roboris in hoc qui-*  
*dem loco collocari posse, quando quidam ex eo pro univer-*  
*salitate meriti Christi argumentantur, ut, si nullum alium*  
*haberemus locum, præter hunc, ex hoc solo tanta causa for-*  
*tè defendi non posset.* Et sanè verum est, Judæis olim pe-  
culiariter Messiam promissum, exoptatum & expectatum  
fuisse. Verum est, Evangelium Judæis primum prædicari  
debuisse, ipso Christo Apostolos emissos jubente, *Matth. X.*  
*5. 6. imò Matth. XV. 24. edicente, se missum non esse, nisi ad-*  
*oves perditas domus Israëlitiæ.* Interim tamen certa res  
est, causam hujus nunciati gaudii omnem in orbe populum  
attinere, quemadmodum integer S. Scripturæ Codex tan-  
tum non singulis paginis clamat atque testatur. Non enim  
Judæorum DEUS tantum, sed omnino etiam gentium, *Rom.*  
*III. 29. Simeon recens natum Mariæ Filium, Luc. II. 30. 31. 32.*  
vocat Salutare DEI, quod præparaverit ante faciem πάντων  
τῶν λαῶν (in plurali numero) omnium populorum, Lumen  
in revelationem gentium, & gloriam populi Israëlitis. Johan-  
nes etiam *I. Ep. II. 1. 2. scribit: Si quis peccaverit, Paraclerum*  
*habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ille est propi-*  
*tiatio pro peccatis nostris: imò non pro nostris tantum, etiam pro*  
*totius mundi.* Hæc autem est materia & causa magni istius  
gaudii, quod Angelus pastoribus Bethlehemiticis evange-  
lizabat, dicendo: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est*  
*Christus Dominus in urbe Davidis.* O gaudium verè magnum!  
Non mundanum, non temporale; sed cœleste, sed sempiternum gaudium! Gaudium, quod omnis prædicat Ecclesia,  
cum magnâ lætitiâ & exaltatione. Hoc est Evangelium illud,  
quod


quod prædicaturum sese pastoribus dixerat Angelus. *Natus est vobis hodie Salvator.* Quo certè nihil ab Angelo majus dici, nihil jucundius audiri poterat. Dudum promissus Messias, dudum expectatus jam erat, dudum illius anhelaverant credentes adventum. Ecquod igitur majus nunciari gaudium poterat, quam quod promissiones nunc tandem impletas cernere liceret, & expectationi diuturniori fatis factum esset? Magnum est hoc gaudium, quia natus Salvator, i. e. salutem dans perennemque felicitatem omnem. Bene MALDONATUS *h. l. Non temerè, sed magno consilio, & velut artificio quodam factum est, ut Angelus hoc nomine usus fuerit: partim opinor, quia ipsum per se Salvatoris nomen splendidum & latum erat; & salutem expectantibus jucundum auditu, & gaudium illud magnum; quod promiserat Angelus, præseferens; partim ut ad Prophetias illas alluderet, quibus Judæis Christus Salvatoris nomine promissus fuerat.* Et hunc ultimum propter respectum procul dubio factum est, quod Angelus mox addiderit: *Qui est Christus Dominus in urbe Davidis.* Hac enim periphrasi urbis, quam nomine proprio Bethlehem, eum uti maluisse, verisimile est, ut eò certiores redderet pastores, huncce infantem verum esse Messiam, *Mich. V. 2. & Davidi, ex ejus femine, 2. Sam. VII. 12. 13. Es. IX. 7.* promissum. Ut igitur significaret, eum esse Messiam, qui & ex femine Davidis & in urbe Bethlehem nasciturus erat, idcirco & urbis & Davidis nomen expressit, attestans ita, promissionem Davidi quondam factam impletam jam esse.

Impleta est ea, CIVES HONORATISSIMI! non pastoribus illis, non Judæis solum, sed omni populo: proindeque & nobis. Quamobrem & Evangelium istud angelicum nobis hodie annunciat. Acclamant & nobis angeli DEI, præcones Verbi, idem hoc magnum gaudium & nobis evangelizantes. Resonant itaque semper in auribus nostris hæc angelica verba, quibus nostrorum è nativitate JESU nostri officiorum admonemur. Sunt ea tria potissimum: ut timorem deponamus, ut gaudeamus, ut credamus. Varias ceteroquin in nobis deprehendimus timoris causas: ast nunc excutiendus timor est. Ne timete peccata: natus etenim est, qui est propitiatio pro peccatis nostris, *1. Joh. II. 2.* Ne timete iram DEI: natus quippe est Mediator DEI & hominum, *1. Tim. II. 5.* Ne timete mortem: natus siquidem est, qui dimisit eos, quotquot timore mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti, *Ebr. II. 15.* & mors absorpta est in victoriam, *1. Cor. XV. 14.* Ne timete infernum: natus namque est, qui nos è manu inferni redemit, exitium ei factus, *Hof. XIII. 14.* Ne timete Diabolum: natus est enim, qui per mortem abolevit eum, qui virtutem habebat mortis,

mortis, hoc est, Diabolum, *Ebr. II. 14.* ad hoc manifestatus, ut dissolvat opera Diaboli, *1. Job. III. 8.* Deposito autem timore, ex adverso, gaudeamus gaudium magnum. *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete!* hortatur & nosmet Paulus, *Phil. IV. 4.* De Abyssinis, nescio ubi, relatum me legere, memini, quod singulorum per annum mensium vigesimum quintum diem, in memoriam nati Salvatoris, festum habeant, multaque celebrent cum solennitate, gaudium ob eam suam sic declarantes & conservaturi. Imitemur horum exemplum, & licet memoriam nativitatis dulcissimi Salvatoris vel unico hoc tantum Festo quotannis publicè recolamus, memores tamen illius omni tempore simus, semperque gaudeamus, quoniam causa gaudii perpetua est. Cum primis tamen in hodierno Festo gaudeamus, gaudium verò non mundanum, sed in Domino. Agitedum, CIVES! pfallite, laudate Dominum, adorete DEum in decore sanctitatis, afferte gloriam & honorem. Tandem & fidem nostram virtute verbi angelici fuscitemus. Natus est nobis hodie Salvator noster: in hunc fiduciam nostram collocemus, oportet. Hoc enim est mandatum DEI, ut credamus Nomini Filii sui JESU CHRISTI, *1. Job. III. 23.* Sed veram, necesse est, fidem adhibeamus, in verà cordis fiducia consistentem, quæ & in Christo Salvatore ejusque salvante merito acquiescat, & postmodum quoque per opera sese demonstrat. Nam fidem per charitatem oportet efficacem esse, *Gal. V. 6.* & quæ fides sine operibus est, mortua est: sicuti corpus sine spiritu mortuum est, dicente *Jac. II. 26.* Quapropter credatis in Salvatorem hodie natum, ceu unicam omnis nostræ salutis causam. At verò demonstratis etiam fidem vestram vitâ & operibus. *Luceto lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est: jubente ipso, met eo Salvatore nostro, Matth. V. 16.* Quod si horum, quorum nos angelica illa verba admonitos volunt, observantes, ad quod DEUS Spiritus sui gratiam nobis largiatur! fuerimus, fiet, ceu, quæ cum Angelo illo adfuit, multitudo exercitus cœlestis, DEum laudantium, præcata est: **GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX, IN HOMINIBUS BENEPLACITUM!**

---

P. P. sub Sigillo Rector. Academ.  
in Festo Nativit. Christi  
Anno MDCCXXII.







quod prædicaturum sese pastoribus dixerat Angelus hodie Salvator. Quo certe nihil ab Angelo majus audiri poterat. Dudum promissus Messias, dudum erat, dudum illius anhelaverant credentes ac igitur majus nunciari gaudium poterat, quam nunc tandem impletas cernere liceret, & expriri satis factum esset? Magnum est hoc gaudium Salvator, i. e. salutem dans perennemque felicitatem.

**MALDONATUS h. l.** *Non temerè, sed magno consilio factum est, ut Angelus hoc nomine usus fuerit: pariter per se Salvatoris nomen splendidum & latum erat; & jucundum auditu, & gaudium illud magnum; quod se ferens; partim ut ad Prophetias illas alluderet, quibus per se Salvatoris nomine promissus fuerat. Et hunc ultimum procul dubio factum est, quod Angelus mox addiderit minus in urbe Davidis.* Hac enim periphrasi urbis Bethlehem, eum uti maluisse, verisimile est, ut ret pastores, huncce infantem verum esse Messiam videri, ex ejus femine, 2. Sam. VII. 12. 13. Es. IX. 7. significaret, eum esse Messiam, qui & ex femine Davidis nasciturus erat, idcirco & urbis & Davidis nomen stans ita, promissionem Davidi quondam factam impleta est ea, **CIVES HONORATISSIMI!**

non Judæis solum, sed omni populo: proindeque rem & Evangelium istud angelicum nobis hodie amant & nobis angeli DEI, præcones Verbi, idem hunc & nobis evangelizantes. Resonant itaque fratris hæc angelica verba, quibus nostrorum è nativitate admonemur. Sunt ea tria potissimum: natus, ut gaudeamus, ut credamus. Varias ceterum apprehendimus timoris causas: ast nunc excutiendæ peccata: natus etenim est, qui est propitiator fratris, 1. Joh. II. 1. Ne timete iram DEI: natus est, qui DEI & hominum, 1. Tim. II. 5. Ne timete mortem est, qui dimisit eos, quotquot timore mortis per orbem xii erant servituti, Ebr. II. 15. & mors absorpta est in Christo, 1. Cor. XV. 54. Ne timete infernum: natus namque est, qui nos redemit, exitium ei factus, Hof. XIII. 14. Ne timetis est enim, qui per mortem abolevit eum, qui

est vobis  
ucundi-  
atus jam  
Ecquod  
missiones  
turnio-  
a natus  
Benè  
ficio quo-  
ia ipsum  
stantibus  
relus, præ  
s Salva-  
um pro-  
stus Do-  
ne pro-  
redde-  
& Da-  
igitur  
e Beth-  
it, ete-  
esse.  
us illis,  
amob-  
Accla-  
gaudi-  
us no-  
tri of-  
depo-  
bis de-  
Ne ti-  
tis no-  
ediator  
idem  
obno-  
Cor.  
infer-  
natus  
bebat  
mortis,

